



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Res à S. Ignatio Loiola Societatis Iesv Parente Gestæ

Ribadeneyra, Pedro de

Coloniae, 1622

Aßidue occupatur. 129

urn:nbn:de:hbz:466:1-44900

autumabat. Inter eiusmodi tamen studia quo IGNATIUM charitas animique vis apertior haberetur, non intercessit DEVS, quin atroces odiorum turbines rursus in illum incurrerent. Quorum tamen excitati fluctus, velut scopulo illusi fractique breui elanguerunt: & illum quidem orbi notiozem: cæptaque eius validiora reddidêre. 129 His atque talibus, supra quam credi facile possit, assidue exercebatur: quamquam ipse corporis vires longè impares, ceterùm animum multo superiorem gerebat. Et accedebant litteræ aliæ super alias, reddendæ aut cognoscendæ, quibus undique firmè, atq; quotidie creberrimis sollicitabatur. Sepe viri principes illius vota deposcere: sæpe consilijs iuuari, & prudentia eius doceri cupere: modò, vt in negotijs curandis suam operam

addiceret, rogare: tum vero alii gratiam pro eius erga se meritis dicere; & labores, quos fructuosissimos illius alumni passim obirent: tum denique alii aliud vel- le. Videres peculiarem utique, ad res tam diuersas, vim adesse; & suppetiis illum diuinis niti, cum in affecto corpore, alacrior seipso fortiorque appareret.

Igitur defluere corpus viresque in dies ceptabant: cum vigor tamen animi, morbis adhuc omnibus imperare: neque senium ipse, quamuis senex accusare audiebatur. 130 Ad hæc, etsi longas vitæ molestias ita perferebat, ut, etiam diuturniores non abnueret; tamen ingenti desiderio ad cælestem patriam ferebatur, ubi cupito Numinis aspectu potiretur. Neque cogitare aliquando suum obitum potuit, quin exuberantes gaudio lacrimas fuditaret. Quare an-